

SENSVS, quæ est caloris & humiditatis, cuius medietas est de natura caloris, & medietas altera de natura humiditatis.

Iam autem diximus, quod naturæ humiditatis medietas est de natura caloris, & alia medietas de natura frigiditatis. Huius igitur Sphæræ tres sunt partes, de Natura caloris, & vna pars de Natura Frigiditatis. Sphæra verò suprema, quæ est post ipsam, tota est de natura caloris, nec in ea est aliquid Frigiditatis & Humiditatis. Sic igitur patet, quomodo istæ Sphæræ ad inuicem ordinantur. Et ille: Iam mihi naturas caloris & frigiditatis & humiditatis sufficienter demonstraisti. Quid verò est natura Siccitatis? hoc nondum mihi exposuisti. Et ego: Siccitas est sola priuatio humiditatis, in quo enim nulla est humiditas, illud siccum debet appellari. Et ille: Iam mihi sufficiēter explanasti, quid sit Simplex, & quid sit Simplex de simplici; Dic ergò mihi, quid sit post illud? Et dixi: Compositum de Simplici. Et ille: Quid est illud? Ego: **QUATUOR ELEMENTA.** Et ego: Ista quatuor Elementa sunt, **IGNIS & AER, AQUA & TERRA.** Et ille: Quomodo generantur ista Elementa? Et ego: Temperauit se natura caloris cum natura siccitatis & caloris & humiditatis, & venit ex isto temperamento æquale Elementum **IGNIS.** Et temperauit se Elementum **IGNIS** cum natura humiditatis, & venit ex isto temperamento Elementum **AERIS.** Et temperauit se Elementum **AERIS** cum Natura Humiditatis & Frigiditatis, & venit ex isto temperamento Elementum **Aquæ.** Et temperauit se Elementum **Aquæ** cum Natura frigiditatis & Siccitatis, & venit ex isto Temperamento Elementum **TERRÆ.** **IGNIS** ergò est aer subtilis, calidus & siccus. **AER** ergò est **IGNIS** grossius, calidus & humidus. **Aqua** est **Aer** grossus, frigidus & humidus, & **AER** est aqua subtilis, calida & humida. **AQUA** est terra subtilis, frigida & humida. **Terra** est aqua grossa, frigida & sicca. Et ille: Quid est illud, quod est Compositum de Composito? Et ego: Corpora generata ex Elementis. Et ille: Quæ sunt illa? Et ego: **CORPVS** animæ corporalis, quod est de corpore animali, & corpus Spiritus corporalis, quod est **SPIRITVS** corporis mineralis: Et corpus plantæ, & corpus corporis corporalis. Et ille: Quid est corpus minerale, & corpus animale, & quid est corpus corporis plantæ, & anima corporis vniuersalis? & quomodo generantur ista corpora ex Elementis? Et ego: Temperauit se Elementum **Ignis** cum Elemento **Aeris**, & venit ex isto temperamento æquali corpus animæ corporalis. Et temperauit se Elementum **Aquæ** cum anima corporali, & venit ex isto temperamento corpus spiritus corporalis. Et temperauit se corpus **Spiritus corporalis** cum elemento **Terræ**, & venit ex isto temperamento corpus